ſtationis. Variata igitur à centro epicycli à centro mundi remotione, locus ſtationis immutatus manſit, quod intendebam. Verũ huius præciſionis neglectio haud ſenſibilem immittet errorem, quare Ptolemæi operationem, quæ tametſi enucleata non eſt, tamen quantum ſatis eſt commoda proſequendam cenſeo.

PROPOSITIO XII.

Loco Veneris in orbe ſignorum propoſito, quanta poſſit eſſe plurima ipſius in eo loco exiſtentis à Sole longitudo ueſpertina percunctari.

¶ Figuram ante oculos poſitam contemplare. In qua linea a,b,e. per augem ecentrici, & eius oppoſitum incedat. Cuius alter terminorum a. ſcilicet ſit aux, alter uero e. oppoſitum augis. In ea linea punctus d. ſit centrum mundi g. ecentrici b. uero motus æqualis epicycli. Item circulus h,t. ſuper centro z. deſcribatur. Quem contingat linea d,t. in puncto t. Centrum quoq; eius cum tribus punctis b,g. & t. continuetur per lineas z,b. z,g. & z,t. producta b,z. in h. augem mediã epicycli, deniq; per pendiculares protrahantur b,m. quidem ad g,z. & g,k. ad d,t. itemq; g,z. ad z,t. Quærimus itaq; dũ Venus eſt in linea d,t. maxime à loco Solis remota, quanta ſit eius longitudo ueſpertina. Superioribus autem paſsibus locus augis ecentrici Veneris dabatur cognitus, & nũc quidem locus ſtellæ huius ſcitus ſupponitur, quãobrem angulus a,d,t. inuenietur notus, unde proportio g,d. ecentricitatis ſcilicet ad lineam g,k. æqualẽ l,t. non ignorabitur. Erat autem utraq; linearum d,g. & z,t. reſpectu ſemidiametri ecentrici nota, quare l,t. reſpectu eodem cognita ueniet, reſidua quoq; z,l. ad lineam g,z. ſemidiametri ecentrici menſurata erit. Trianguli igitur z,l. duo latera z,g. & z,l. nota ſunt, & angulus l. rectus, quare angulus eius z,g,l. notus erit. Iam igitur totus angulus d,g,z. ex tribus conſtat angulis, ſcilicet z,g,l. iam noto, angulo l,g,k. recto, & angulo d,g,k. cognito, propter angulum g,d,k. prius notum, & k. rectũ, quare ipſe cognitus ueniet. Reliquuſq; angulus, uidelicet b,g,z. ex duobus rectis angulis cognitus erit, & ob hoc utraq; linearum b,m. & m,g. lineæ b,g. commenſurabuntur. Quæ quidem linea b,g. reſpectu g,z. ſemidiametri ecentrici nota eſt. Sic igitur reliqua linea m,z. cum linea b,z. ſcite dabuntur, unde angulus b,z,m. non ignorabitur, qui cum angulo b,g,z. pridẽ noto æquipollent angulo a,b,z. unde ipſe angulus a,b,z. cognitus erit, quare diſtantia ueri loci Veneris, qui & Soli communis eſt, ab auge ecentrici conſtabit, igitur locus ille medius nequaquam occultabitur. Per ea autem quæ in tertio libro diſſerebantur ex loco Solis medio locus eius uerus haud inſcitus prodibit. Cum igitur locus Veneris ad nutum poſitus ſit, & locus Solis uerus pateat. Cognitum erit interuallum quod ipſorum locis ueris intercidit, & hoc erat cupitum.



PROPOSITIO XIII.

Longitudo itidem matutina quam maxima Veneri accidat comprehendere.

¶ Paulo diuerſiorem ſubiiciemus figurationem, in qua linea ueri loci Veneris continget latus epicycli dextrum. Linea uero g,l. perpendicularis, quę pridem ſemidiametro epicycli obuiauit, nunc ſemidiametro epicycli con-